



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii  
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,  
omnibusque conscientiæ nodis**

**Bonacina, Martino**

**Coloniæ Agrippinæ**

Metus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41152**

Cajet. 2. q. 100, art. 4. in fin. D. Thom. 16. ad 1. ita de mendacio & doctrina.

Perenti quæ ei reddidisti, potes negare te accepisse, scilicet sic ut ei debeas nunc; & perenti totum, cum solum partem debeas, negare debere te, scilicet quantum petit.

Quidam dicunt eum, qui non tenetur respondere ad intentionem rogantis, posse respondere aliquid, subintelligendo id non esse, scilicet ita ut ei dicere teneatur, vel se non habere, scilicet uti det. Alii id non admittunt. vid. Syl. loc. cit.

## A D D I T I O.

## Metus.

Vide v. *Contractus*.

Metus iustus, seu cadens in constantem virum, est, quo probabiliter quis sibi aut suis timet grave malum, excusatque feminam minor metus, quam virum. De metu multa Azor. l. c. Syl. *vers. metus*.

Metus iustus excusat à peccato mortali, in lege humana, & iis quæ requirunt consensum liberum, ut voto, & matrimonio; tollit obligationem, cum ab aliquo ad hæc facienda incutitur. Quidam tamen putant, in voto manere obligationem si quis habuit animum se obligandi, ut maneat in iuramento. Peccato) Fum. *excom.* 59. Syl. *ead.* 5 q. 14. Azor. c. 11. q. 1. & alii. Cajet. Adrian. & Canonum periti negant. Voto) c. *Pralatum, de iis, quæ vi, met.* Azor. l. c. q. 6. *cas.* 7. Syl. *metus nu* 8. *Matrimonio*) Azor. l. c. q. 5.

Juramentum metu extortum, servandum, vel petenda dispensatio. Azor. l. c. q. 12. *excom.*

Quicumque metus, etiam minor iusto, est causa principalis actus, sine qua non fieret, illum annullat coram Deo, ut promissionem, votum, & matrimonium, secundum quosdam, quod Em. Sa non omnino tutum videtur. vid. Azor. l. c. q. 16. & 17.

Qui iuste metum incutit, non dicitur vim facere, ut ideò contractus debeat censeri nullus. Vid. Azor. c. 10. q. 11. Syl. *metus* q. 6.

ADDI-